

quotiens erit in eadem denominatione, cuius est minutia diuidenda, quare supra caput eius poni debet. Tertia, si miuitias per alias diuiseris, quia tunc diuidenda semper subtiliores esse tenentur respectu diuidentium, alias diuisio fieri non potest, denominator quotientis proueniet, quem numerus relictus post subtractionem denominatoris diuidentis à denominatore diuidenti denominabit, uel exiabit minutia quotientis, tantum ab integro distans, quantum diuidenda à diuidente. Hæc eadem operatio motuum distributioni temporis accommodabitur, hoc unico obseruato, quod quicquid prius de gradibus præcipiebatur, hic denominationi horarum attribuitur. Cum autem singula hic explicentur exemplis, præsensq; propositio conuersa sit immediate præcedentis: supradictum igitur exemplum in proposito sic repetatur. Sit diuidendus 35. mi. 34, secun. 44. 10. 55. 45. diuisor uero 53. mi. 29. secun. 45, cuius minutia grossior in fronte tabulæ reperitur, sub qua descendendo in eadem columnella 34 mi. 27. secunda diuidendo propinquior inuenitur, & in eius edirecto linea numeri uersus sinistram 39. scilicet quotientem demonstrat minorum numerum per tertiã regulam, & supra caput diuidenti ad denominationem similem debent scribi, atq; per omnes diuisoris figuras multiplicari per præcedentem, sic producentur 34. mi. 46. secun. 20. & 15. quibus de diuidendo abstractis remanebunt 48. secun. 23. tert. 55. 55. 45. Cum numerus etiam secundorum & tertiorum illius residui in columnella præfato diuisori directe subiecta inueniri non possit, eo proximo minor scilicet 47. secun. & 42. recipiatur, cui 54. sinistrorsum in linea numeri adiacere uidentur, quæ cū immediate succedent denominatione prioris quotientis erunt secunda, quare supra caput secundorum diuidenti scribi debent, et eorum multiplicatione facta cum omnibus figuris denominationum diuisoris, eiusdemq; producti à diuidendo subtractione 15. in tertijs 9. in quar. 25. in quin. & 45. in sextis remanere necesse est. Erat namq; tale productum 48. in secun. 8. in tert. 46. & 30. Deinde pro habendo nouo quotiente, fixat iterum introitus sub diuisore priori, puta 53. quærendo in eadem columnella residuum diuidenti scilicet 15. tert. & 9. quarta, quod in proposito non reperitur præcise, numerus ergo proximo eo minor, puta 15. tert. 1. quar. recipiendus est, & linea numeri è directo 17. loco affert quotientem, sub tertiorum tamen denominatione, quæ cum toto diuisoris numero multiplicata 15. tertia 9. 25. & 45. adducunt, quibus ut præcipitur de diuidendo abstractis, tota diuidenti summa conteritur, quod erat propositum.

## De motibus medijs.

**A**cta generalis documenti ostensione de forma operandi huic nostro proposito admodum necessaria, iam Dei inuocato auxilio gloriosi, ad præxim motuum accedentes, ueris medios præponemus, seu æquales, quibus ignoratis ad ueros mobilium motus deuenire non possumus. His enim mediantibus illi inueniuntur, licet etiam motus cuiusq; planetæ in semeipso sit naturalis & æqualis. Nec augetur quandoq; plus nec minus, motus tamen planetæ cuiuslibet in suo circulo breui, id est epiciclo, & epicicli in eccentrico computatus in circulo signorum est multiplex, diuersus & non uniformis, inquit Albumasar differentia 4. tractatus 5. Quicquid etiam in istis tam ueris quam medijs motibus de signis gradibus, alijsq; minutijs inuentum fuerit, ut completum accipiatur atq; per transitum.